









1761.

1. Eisenhart, Iohannes Fridericus: *Dissertatio ius. inqz. ad l. 13.*  
8. finium regundorum.
2. Haepkens, Iohannes Jacobus: *De immunitate bona filii possessoris a restitutione factum in iudicio familiari quam personali.*
3. Tendelenburg, Augustus Fridericus: *Specimen iuris naturae extensus genuinem imputationis naturam*

1762.

1. Hinckel, Concessus: *De parentibus et fratribus ex lege 30 C. de insufficiis testamentis agere valentibus.*
2. Hoepker, Iohannes Jacobus: *De discrimine inter testamentis voluntatis et probacionem quaque usus practico.*
3. Henckel, Gottlieb Hendricus: *De mandato constitutuendo statutum iuris Lubecensis lib. II Tit. 10. art. novi.*

1762.

4<sup>o</sup> Petri, Carolus Fridericus: *De donatione simpliciter  
hereditatem paternam non conferenda. 2 Exempl*

1763.

1. Frickius, Albertus Petrus: *De nummorum et rerum  
precio legali*

2. Haesler, Johannes Tacitus: *De vera natura et  
intule iuriis non scripti occasione legis II. Post.  
quae sit longa consultatio.*

3. Mensching, Augustinus Iohannes Oph: *Reservatibus  
in genere et specie de servitate aerarium  
legali iuriis Lubecensis*

4. Oslich, Tim. Ernest. dud: *De eo, quod justum est  
circa legatum pecuniae valore monetarum post  
testamentum conditum mutato.*

5. Petri, Carolus Fridericus: *De erroribus quibusdam  
circa querelam iuificioris testamenti.*





9,324 2  
999

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
**IMMVNITATE**  
BONAE FIDEI POSSESSORIS 1761,2  
A RESTITVTIONE FRVCTVVM  
IN IVDICIO TAM REALI  
QVAM PERSONALI

QVAM  
IN INCLVTA ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE

**D. IOHANNE IACOBO  
HOEFFERO**

ICTO ET ANTECESSORE H. T. DECANO

PRO  
SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORVM  
MORE MAIORVM RITE ET LEGITIME  
IMPETRANDIS

AD DIEM XXIII OCTOB<sup>R</sup>IS MDCCLXI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS  
IN IVLEO MAIORI BVS  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
**IOHANNES MEIER**  
BREMENSIS

HELMSTADI  
APVD VIDVAM B. P. D. SCHNORRI ACAD. TYPOGR.

INSTITUTIO MINISTERIA  
DE  
UNIVERSITATIS  
SCHOOLIS THEATRORUM  
ESTABLITIONE TRACTAVIT  
IN LIBRARY MATHEMATICI  
GAVM PERSONALI

IN COLLEGA ACADAMIA ITALIAE CONSULTA  
LIBRARIAS LIBRAE CONSULTORIUM QUDINIS  
VALUATIONE

D. IOHANNES IACOBO  
HOFFERIO  
ICto ET ANTICIPATO H. L. DECIMO  
PRO

SUMMIS IN AUTODAE HARV HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORVM  
MORI MAIORVM RITE ET ELEGANTER  
PERTRIBUNDIS

AD HENR. XXII OCTOBRIS MDCCLXII  
HORIS ANTE TEATRORUM CONSULTA  
IN HILIO MAIORI

FAVILLIS DEDICATA  
AUTODAE  
IOHANNES MEIER

PERPETRATOR  
INSTITUTIO  
LIBRARIAS LIBRAE CONSULTORIUM QUDINIS  
VALUATIONE

LIBERAE ATQVE INCLVTAE  
SACRI ROMANI IMPERI  
REI PVBLICAE BREMENSIS  
SENATVI SPLENDIDISSIMO  
VIRIS  
PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS  
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIMISQVE  
DOMINIS  
CONSVLIBVS  
DOMINO SYNDICO  
DOMINIS SENATORIBVS  
PATRIA E PATRIBVS  
LIBERTATIS RELIGIONIS ATQVE IVSTITIAE  
DEFENSORIBVS  
MVSARVM & TVTORIBVS.

PATRONIS AC FAVORIBVS

SVIS

OMNI HONORIS CVLTV

AETATEM PROSECVENDIS

DISSERTATIONEM HANC

IN AVGVRALEM

EA QVA PAR EST

OBSERVANTIA

CONSALIBAS

Dominus XYDICO

D. D. D.

Dominis SEMINATORIBVS

PATRIAE PATRIAS

THEATRIS RELIGIOSIS ALGAE AVVENTICAE

JOHANNES MEIER.



DE  
IMMVNITATE BONAE FIDEI POSSESSORIS  
A RESTITVTIONE FRVCTVVM  
IN IUDICIO TAM REALI  
QVAM PERSONALI.

§. I.

RATIO DICENDORVM.



Etsi rerum possessores, ob singularia quibus gaudent commoda, beati uulgo habentur: in hoc tamen, quo nunc uiuimus, rerum statu, cum nihil sit ex omni parte beatum, bonae fidei etiam possessoribus saepenumero accidit, ut uel a rei domino, uel a persona, cui se obligarunt, litibus diu distenti, denique non possessione sua modo excidant,

A 3

cidant, uerum ad rei possessae etiam fructus restituendos teneantur. Quatenus uero a fructuum restituzione, iudicio uel reali uel personali, possessione sua priuati bonaे fidei possessores, immunes sint, anceps profeсto est quæstio, cum a iure consultis, tum in foro saepius quidem agitata, sed nondum ad certa fundamenta, unde tuto decidi possit, redacta. Igitur, specimen inaugurale pro summis in utroque iure honoribus consequendis daturus, in explicando hoc ulterioris indaginis argumento periculum facere uokui, quid ualeant humeri, quid ferre reciuent. Ut autem in difficulti hac materia tractanda iusto ordine procedam, primum rationes legum tum naturalium, tum ciuilium, quac de possessione, proprietate et fructibus disponunt, inuestigabo, indeque uniuersalia principia construam, deinceps uero, iudicii tam realis quam personalis sine indagato, qua ratione hisce in iudiciis secundum leges diuinas et humanas bonaе fidei possessor a fructuum restituzione iudicandus sit immunis, demonstratus sim. FAXIT DEVS feliciter.

## §. II.

QVID RATIO DE POSSESSIONE DICTITET,

DISQVIRITVR.

Quemuis ad sui conseruationem usu rerum indigere, hoc ex eo intelligitur, quod experientia docet, homines, rebus ad sustentationem necessariis priuatōs, peri-

perire. Quia uero ratione, secundum leges naturae, rebus rite utendum sit, est interioris i[n]vestigat[i]onis materies. Prima quidem rationis dictata postulant, ut cuiusvis rei finibus conuenienter uiuamus, et hoc pacto non solum nosmet ipsos seruemos, uerum etiam si modo sine detramento propriae conservationis nostrae fieri possit, aliorum prosperitat[i] simul consulamus; quae omnia iam latius deduxit D[omi]n[u]s PRAESES in comment. de primis et genuinis legum fontibus §. IX. XI. et XIII. At vero, si secundum eiusmodi praecepta naturalia usum rerum recte diuidare uelimus, necesse est ante omnia, ut fines rerum, qui ex ip[s]a earum natura intelligendi, scrutemur. Ad res, quae existunt, quaeque nobis usum praestant, paullo curatius si attendimus, eas duplicitis potissimum generis esse deprehendimus. Aliae enim huiusmodi sunt naturae, ut non solum usum abundantissimum et inexhaustum sine occasione dissidii praebent, uerum etiam omnis custodiae expertes, et ita comparatae sint, ut nemo ab illarum communione arceri possit; quorsum aqua profluens, oceanus uniuersalis, calor et lumen solis, aer, quatenus ad respirandum usurpatur etc. sunt referenda. Aliae vero res huius sunt indolis, ut in singulorum commodum occupari, et ob usum, quem praestant, restrictum et determinatum, sine contentionis formidine omnibus communes esse non possint; quarum in censum omnes res, homini ad uitam bene degendam necessariae, uenient. Intelligitur inde, quarundam rerum finem esse, ut omnibus usum

exhibeant, quasdam uero eo tendere, ut nonnullis modo sint usui. Illas in uniuersili esse posse communione, hcs e contrario ejusmodi communicatatem non admittere, patet. Cum igitur cuiusuis rei finibus conuenienter sit uiuendum, consequens est, ut in statu naturali unicuique potestas data sit, ad sui conseruationem, rem occupari solitam et uacuam apprehendendi eaque utendi; id quod possidere dicitur. Atque adeo secundum iuris naturae dispositionem possessio est facultas naturalis rei occupari solitae et uacuae insistendi, cum animo ea utendi ad sui conseruationem. Inde recte dicit Paulus ICor in l. 1. pr. D. de adquir. uel amitt. possessi possessio appellata est, ut et Labeo ait, *a sedibus*, quasi positio; quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit; quam Graeci *natoxyn* dicunt. Et Iauolenus in l. 115. D. de V. S. possessionem definit per *usum loci*. Atque adeo Vl piano in l. 12. pr. D. de adquir. uel amitt. possessi naturaliter uidetur possidere is, qui usumfructum habet. Haec omnia similitudine declarat Cicero de finibus honor. et malor. Lib. III. cap. XX: Theatrum, inquit, cum commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit. Nam, ut idem perhibet de officiis Lib. III. cap. V. sibi ut quisque malit, quod ad usum uitae pertineat, quam alteri, adquirere, concessum est, non repugnante natura. Cui adstipulatur Poeta Venusinus epistolar. Lib. II. ep. II. dicens:

Quaedam, si credis consultis, mancipat usus,  
§. III.

## §. III.

NATURALIA DE POSSESSIONE IVRA ULTERIVS  
DEMONSTRANTVR.

Si igitur tunc possidemus in sensu iuris naturae, quem rei vacuae insitimus in nostram utilitatem; solam voluntatis declarationem, sine aetui possessorio, ad acquirendam possessionem non sufficere, adeoque nullam possessionem posse adquiri, nisi animo et corpore simul, et e contrario nullam amitti, nisi in qua utrumque in contrarium actum, recte inde colligatur. Huc facit Paulus ICtus in l. 3, §. 1. et l. 8. D. de adquir. uel amitt. possess: adipiscimur, ait, possessio- nem, corpore et animo: neque per se animo aut per se corpore: et quemadmodum nulla possessio adquiri, nisi animo et corpore, potest; ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est. Rationem sententiae suae indicat Paulus in l. 153. D. de R. I. Fere, inquit, quibusunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur; cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis, amittimus. Porro ex definitione possessionis (§. II) sequitur, ut ille, qui rem secundum rationis dicamen possidet, iustus sit possessor, habeatque ius de- fensionis, ob sui conseruationem. Contra ea merito ille iniustus dicitur possessor, qui alterum in sua pos- sessione rite adquisita turbat, aut illum de ea deuicit, quippe quod non nisi laesio et summa est iniuria. Recte Cicero de offc. Lib. III. cap. V. detrahere.

B

in-

inquit, aliquid alteri, et hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit coniustum humanum et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliat, aut uiolet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam humani generis societatem. Tullio album calculum adiicit Quintilianus Decl. XIII. dicens: si haec conditio est, ut quicquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis, profecto quicquid iure possidetur, iniuria aufertur. Ut autem de iustitia et iniustitia possessionis in statu naturali eo melius constat, sciendum est, rei occupari solitae et vacuae solum ad sui modo conseruationem insistendum, eaque utendum, adeoque ad officium possidentis pertinere, ne diutius rei inhabereat quam opus est, et ne alios a compositione rei, quae pluribus sufficere potest, excludere, et possessionem veluti in proprietatem, cuius, ut infra videbimus, expers est naturalis status, convertere audeat: quoniam finibus rerum conuenienter uiuendum, ita, ut non solum nostrum ipsos feruemus, sed et, si sine dispendio nostra custodiae id fieri potest, aliorum quoque prosperitati consulamus. (§. II.) Vtrumque uero si obtineri nequeat, ratio postulat, ut in pari causa melior possidentis conditio habeatur, et prohibet, quenquam in possessione turbari. Quam naturalem dispositionem et legislatores humani in l. 128 pr. D. de R. I. et c.

65 de R. I. in 6to sunt secuti: Praeterea sunt posses-  
sionis finis sit, ut re utamur ad nostram conserua-  
tione, huius intuitu sequitur, ut omnes ex re pos-  
sessu provenientes fructus ad ipsum pertineant posses-  
sorem. Denique, quia in naturali statu omnes homines  
inter se aequales sunt; dicit enim Aristoteles L. I.  
Polit. c. III. νέρη τὸν μὲν δόλον ἔναι, τὸν δὲ ἐλέυθερον' ne-  
cessere est, ut et in eiusmodi statu pari iure gaudent  
mortales, indeque consequitur: si possessor rei in suam  
utilitatem non amplius insistit, sed possessionem mu-  
tat, ut statim ea expiret, atque tunc res derelicta  
occupari eiusque possessio apprehendi ab aliis possit;  
atque adeo, possessionem solo animo naturaliter retineri  
non posse, nec illam quam ICti effinxerunt et quasi  
possessionem vocant, hic locum habere, colligitur.  
Conf. GRIEBNER princip. iur. prud. nat. L. I. c. IV.  
§. IV.

### §. III.

IN ORIGINEM ET NATVRAM PROPRIETATIS  
INQVRITVR, SIMVLQVE DOCTORVM IVRIS  
NATVRAE QVRVNDAM OPINIO DE PRIMAEVA  
RERV M OMNIV M COMMVNIONE  
REFELLITVR.

De origine proprietatis iam satis in utramque  
partem disputatione iuris naturae doctores et adhuc  
disceptant. Diuersas eorum sententias recenset  
GRIEBNER cit. L. I. c. VI. §. V. Si breuiter dicen-  
dum

dum quod res est, Gratianus iam dudum ueram proprietatis originem in suo decreto indicauit, simul uero communem errorem de primaeua rerum omnium communione induxit. Notissimus est C. dilectissimis 2. C. 12. q. 1. ubi §. 1. disponitur: communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit. Sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, et alius illud, et sic inter mortales facta diuisio est. Add. C. 7. d. 1. et C. 1. d. 8. Prius de refellenda primaeua rerum omnium communione, quam indicanda origine proprietatis, cogitandum, ut in huius investigatione obstaculum remoueatur. Fabulam de universalis rerum omnium communitate ab antiquorum Poetarum et Philosophorum effatis de aurea, quae regnante Saturno fuisse dicitur, aetate, ortam esse, iam olim obseruauit Laetantius instit. L. V. C. V. alle-gans Poetam, qui L. I. Georg. 126 canit:

*Ante Iouem nulli subigebant arua coloni:  
Nec signare quidem aut partiri limite campum  
Fas erat: in medium quaerebant: ipsaque tellus  
Omnia liberius nullo poscente ferebat.*

Vbi simul Laetantius moneret, Poetae dictum hic accipi oportere, non ut existimemus, nihil omnino tum fuisse priuati; sed more poetico figuratum, ut intellegamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fru-

fruges non includerent, nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent. Conf. Eusebius praeparat. euangel. L. XII. C. XIII. Profecto si ad fines rerum attendimus (§. II.) constat, nonnullas res sine dissidii formidine in uniuersali esse posse communione, quasdam uero huiusmodi communitati non esse idoneas, quoniam nonnullis modo sunt usui ad sui conseruationem. Cum autem cuiusvis rei finibus conuenienter uiuendum, intellectu difficile non est, *DEVM notissè omnium rerum communionem*, eo magis, quod experientia docet, talem rerum, quae nonnullis modo usum praebeant, consociationem, frequentissime parere, dilectiones, quae rationi repugnant, cum potius iudice Florentino in l. 3. D. de iust. et iur. inter nos cognationem quandam natura constituit. Hanc igitur communem rationem secuti legislatores romani, bene sapienterque constituerunt, ut nemo cogeretur stare in communione. Vid. l. 26. §. 4. D. de condic. indeb. l. 26. D. de servit. praed. urb. l. 77. §. 20. D. de leg. 2. l. 34. §. 2. C. de donat. l. fin. C. commun. divid. l. 2. C. quando et quib. quarr. pars deb. ubi eleganter disponitur: naturale quippe uitium est negligi, quod communiter possidetur: utque se nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur, denique suam quoque partem corrupti patiatur, dum iniuidet alienae. Obiici forsitan posset nostra sententiae, homines in statu naturali inter se esse aequales, atque adeo omnibus quoque aequalia concedenda esse iura (§. III.) Verum paria in naturali mortali-

um statu iura non nisi secundum rerum fines diuidit  
 canda esse, ratio dicitur. Adeoque constat, aliud esse  
 aequali iure in statu naturali gaudere, id est, finibus  
 rerum conuenienter uti, aliud habere omnium rerum  
 communionem. Haec enim huius est naturae, ut res  
 unius sint, sicut alterius, cum in re communi plures  
 unius vicem sustinent; quod tamen in omnibus rebus  
 fieri non posse, ex antecedentibus patet. Non comme-  
 moro si omnes res nobis secundum naturam essent  
 communes, hoc est, ita unius sicut alterius, exinde  
 necessario sequi, ut non posset committi furtum con-  
 tra naturam, quia res iure concederentur occupan-  
 ti. Interim cum fabula de primaeua omnium rerum  
 communione nonnullis primitiue ecclesiae patribus  
 atque scholasticis placuerit, factum est, ut et acu-  
 tissimus alias GROTIUS, hoc communi errore seductus,  
 illum immortali suo operi de iure belli et pacis L. II.  
 c. II. insperserit, quem deinceps PVEFENDORFIVS in  
 iure nat. et gent. L. IV. C. IV. §. 5. cum pluribus  
 ulterius propagauit, ita ut obseruante GVNDLINGIO in  
 iur. nat. et gent. C. XX. §. IV. uocabula communionis  
 negatiuae et positiuae, itemque dominii, ambiguita-  
 te sua logomachias in iure naturae produixerint: cui  
 incommodo se merito opposuerunt IOH. STRAVCH. in  
 disp. de imp. mar. C. I. §. 5. et 8. et KVLPISIVS in  
 colleg. grot. exerc. III. ad L. II. C. II. §. I.  
 aliquie. Hinc intelligitur, cur GROTIUS et PVEFENDOR-  
 FIVS citati, et ille quidem L. II. C. II. §. 5. hic ue-  
 ro L. IV. C. IV. §. 4. seq. in ea fuerint opinione,  
 res in proprietatem iuisse simul atque mortalibus pla-  
 cuerunt.

cuerit a primaeua rerum communione recedere et  
 pacto uel expresso, ut per diuisiōnem, uel tacito,  
 ut per occupationem, definire, quid proprii quis-  
 que haberet. At uero hanc coniecturam, cum si-  
 gmento de uniuersali communione nitatur, merito re-  
 iecerunt BARBEYRAC. in not. ad cit loc. Pufendorfij  
 et BYNKERSHOEK in dissert. de dominio maris C. I.  
 Proprietas ergo aliunde petenda est. Dicit Paulus  
 in l. 1. §. 1. D. de adquir. uel amitt. poss: dominium re-  
 rum ex naturali possessione coepisse, Nerua filius ait:  
 eiusque rei uestigium remanere de his, quae terra,  
 mari, coeloque capiuntur: nam haec protinus eorum  
 sunt, qui primi possessionem eorum adprehenderint.  
 Item bello capta, et insula in mari enata, et gemmae,  
 lapilli, margaritae in litoribus inuentae, eius sunt,  
 qui primus eorum possessionem naectus est. Quam  
 sobriam Philosophiam et Hartmenopulus secutus est  
 in Promptuario iuris L. II. tit. I. §. 1. seq. Iam  
 uero cum in statu naturali iusti possessoris officium  
 sit, ne rei diutius, quam ad sui consciuationem opus  
 est, infistat, neve alios a compositione rei, quae  
 pluribus sufficere potest, excludat, et possessionem  
 in proprietatem mutet, (§. III.) ulterius inquiren-  
 dum, quae causa fuerit, ut mortales possessionem  
 ad proprietatem converterint. Genus humanum ini-  
 tio e certis nonnullis familiis constitue, deinceps  
 uero in gentes creuisse, et ratione constat, et hi-  
 storia tum sacra tum profana testatur. Quandiu  
 autem homines in societatibus minoribus uixe-  
 runt, tamdiu etiam illos, ob rerum sufficien-  
 tiā,

tiam , iusti possessoris officium sine dubio impleuisse , reique solum ad sui conseruationem modo inhaesisse , nec alios a compositione , nisi rei natura hanc recularet , exclusisse , exemplum Abrahama et Lothi Gen. XIII. egregie declarat. Autem vero genere humano , simul iniquitas temporum invaserit , itaque , ut in cit. C. 2. C. 12. q. 1. habetur , alius hoc suum esse dixit , et alius illud , adeoque a naturali rerum possessione quam latissime discessum est , cum quiuis proprii commodi promouendi cupidus , quaecunque posset , ad se raperet , de aliorum felicitate non sollicitus. Inde inter gentes bella orta , et fines regionum constituti , ut Seneca in Octavia Actu II. dicit:

*Sed in parentis uiscera intravit suae  
Deterior aetas ; eruit ferrum graue ,  
Aurumque ; saeuas mox et armavit manus ;  
Partita fines regna constituit ; nouas  
Exstruxit urbes ; tecta defendit suis  
Aliena telis , aut petiti , praedae imminens.*

Inde quoque euenit , ut gens a gente se separaret , et quaelibet suae conseruationis et mutuae defensionis causa consociationem iniret , qua occasione inter gentes *ius gentium* , quod definiente Dn. PRAESIDE in cit. comment. de prim. et genuin. LL. font. §. XIV. in defensione peculiaris commodi societatum independentium , pactionibus uel consuetudinibus secundum natu-

naturae leges stabilita consistit, ortum est. Ex quo  
jure sine dubio, ut alia, ita et proprietas deriuanda.  
Constitudo enim inter gentes diudum inualuit, ut,  
quod quaelibet gens iure occupasset, uel acqui-  
siuisset id proprium haberet, ita, ut re occupa-  
ta uel aequisita, non solum plenissime uti, sed et  
alios ab huius usu excludere possit. Apposite di-  
cit Hermogenianus in l. 5. D. de I. et I. Ex hoc  
iure gentium introducta bella, discretae gentes, re-  
gna condita, dominia distincta, agris termini positi,  
aedificia collocata, commercium, emtiones, vendi-  
tiones, locationes, conductiones, obligationes insti-  
tutae. Introducta autem inter gentes proprietate, in-  
valuerunt quoque uarii illam adquirendi modi, de  
quibus HEINECCIVS in element. iur. ciu. sec. ord.  
instit. §. 340. uideri potest. Imo iure gentium pro-  
prietas non ad res corporales solum restricta, uerum  
ad iura etiam extensa fuit. vid. GUNDLING. in iur.  
nat. et gent. C. XXI. §. 28. add. ENGELBRECHT in  
diff. de seruitutibus iuris publici, recusa cum ILL.  
BVDERI praef. Lips. 1739. 4. Adhaec societates  
gentium ansam dederunt statui ciuili, ut DN. PRAE-  
SES in cit. comment. §. XIV. demonstrauit. Per le-  
ges ciuiles autem plures adhuc adquirendi proprie-  
tatem modi tam uniuersales, quam singulares, inducti,  
titulique ad transferendum dominium habiles stabili-  
liti sunt, qua de re iterum adeundus est citatus HEI-  
NECCIVS §. 339. et 435. seq. Haetenus dicta egre-  
gie declarat Cicero de officiis L. I. c. 7: Sunt  
autem, inquit, priuata nulla natura; sed aut ue-  
teri

teri occupatione, ut qui quondam in uacua ue-  
nerunt; aut uictoria, ut qui bello potiti sunt;  
aut lege, paetione, conditione, sorte. Ex quo  
fit, ut ager Arpinas, Arpinatum dicatur: Tu-  
sculanus Tusculanorum. Quapropter proprietas ex  
iam deductis definiri potest, quod sit facultas mora-  
lis re iure occupata uel adquisita plenissime utendi, de  
eaque libere disponendi, eam ab aliis uindicandi, alios  
que ab eius usu excludendi.

## §. V.

QVID IURIS DE PROPRIETATE IN VNIVERSVM  
SIT, INDICATVR.

Quoniam proprietas ex naturali quidem posses-  
sione initium capit, huius tamen indolis est, ut alii  
ab usu eiusdem rei excludantur, et proprietario uin-  
dicandi facultas competit, (§. III.) patet inde, magnam  
inter possessionem et proprietatem esse differentiam,  
ita, ut censente Vlpiano in l. 17. §. D. de adquir. uel  
amitt. possess. dominium nihilonimus eius maneat,  
qui dominus esse non uult, possessio autem recedat,  
ut quisque constituit nolle possidere. Si quis igitur  
ea mente possessionem tradidit, ut postea re-  
stituatur, definit possidere. Ideoque possessio et pro-  
prietas non debent misceri, quia potest esse u-  
num sine alio l. 52. pr. D. eod. Igitur proprietate  
proprietarius emere non potest, sed possessionem l. 28. D. eod. et in iudicio possessorio succum-  
bens, potest experiri petitorio c. pen. X. de caus.  
possess. et propriet: quia sententia super possessione

lata

lata non praejudicat proprietati, c. 6. X. eod. c. 2. X.  
de restit. spoliat. c. 24. X. de elect. atque adeo iure  
proprietatis salvo, fertur sententia in caussa possessio-  
nis c. 51. X. de appell. Imo in sententiae executione  
proprietatis quaestio praefertur quaestioni possessio-  
nis per cit. c. 6. X. de causs. posses. et propr. Porro  
cum proprietas facultas sit, re iure occupata uel ad-  
quisita plenissime utendi, sequitur, *ut omne ex re com-  
modum proprietati adhaereat, adeoque utendi fruen-  
di ius separatum non habeat proprietarius*; cum suus  
fundus ei seruire non possit l. 5. pr. D. si ususfruct.  
pet. Denique ob potestatem, quam habet proprieta-  
rius de re libere disponendi, *sua interest, fines  
praedii tueri.* l. 16. §. 1. D. de usu. et habit. Et inde con-  
sequitur: *liberum esse proprietario super proprietate  
et inde competente iure, uel in totum uel pro parte, di-  
sponere, nec proprietatem nisi per modos adquirendi  
iure gentium et ciuili introductos posse amitti.* Cum  
quibus enim modis adquirimus, iisdem in contrarium  
actis amittimus. (§. III.)

## §. VI.

INDUCTA PROPRIETATE, VARIA QVOQUE CIRCA  
POSSESSIONEM CONSTITUTA ESSE IURA  
OSTENDITVR.

Postquam tum inceper gentes tum in ciuitatibus  
proprietas locum obtinuit, (§. IV.) possessio etiam  
plane aliam, quam in statu naturali habuerat, faciem  
(§. II. et III.) obtinuit. In statu enim ciuili posses-  
sio

fio *naturalis* opponitur *civilis*, utraque uario accipiatur sensu. Vid. LUDOVICI in usu præt. distinet. iurid. tit. de adquir. uel amitt. poss. dist. II. *Naturalis* vulgo de nuda detentione, siue cum aliquo iure in re, extra dominium, coniuncta sit, siue non; *civilis* e contrario de ea intelligitur possessione, si quis rei insitum cum animo sibi habendi. HEINECCIVS ad tit. D. de adquir. uel amitt. poss. §. 197. Inde aliud est in possessione esse, aliud possidere l. 10. §. 1. D. de adquir. uel amitt. poss. Et uerbum possessonis interdum proprietatem significat l. 78. D. de V. S. *possessio civilis enim imitatur proprietatem*, adeoque nec alienari, nisi a proprio domino C. 22. d. 54. nec ab initio sine naturali possessione acquiri potest. l. 3. §. 3. D. de acquir. uel amitt. poss. Porro cum proprietas non ad res solum corporales, uerum ad iura etiam extensa fuerit (§. IV.) ita et civiliter iura sicut possidentur, l. 10. C. de adquir. et retin. poss. cuiusmodi possessionem ICTI quasi possessionem uocant. Vid GOTHOFRE-  
DVS ad l. 2. D. commun. praed. Et quemadmo-  
dum proprietas solo animo retinetur, (§. V.) ita  
et possessio quandiu alias eam non apprehendit.  
Nec tamen ille renuntiasse uidetur possessioni, qui  
rem vindicat, §. 5. Inst. de interd. l. 3. §. 7. l. 12.  
§. 1. l. 30. §. 5. D. de acquir. uel amitt. poss. Imo  
leges ciuiles quemuis possessorem, siue iustus siue in-  
iustus sit, in possessione defendunt, donec de iure  
constet, ob naturalem possidendi facultatem (§. II.)  
§. 4. Inst. de interdict. l. 5. pr. D. si ususfr. pet.  
C. I.

c. i. X. de restit. spoliat. c. i. X. ut uel. pend.  
 c. 6. X. de fide instrum. c. pen. X. de institut.  
 Inde alia possessio facti alia iuris est. Qui eo  
 animo rem possidet, ut non aliter credat, quam se  
 esse dominum, is BONAE FIDEI; qui non ignorat,  
 se dominum non esse, MALAE FIDEI possessor dicitur.  
 l. 3. §. 22. D. de acquir. uel amitt. possess. l. 21.  
 C. de furt. C. 5. C. 34. q. 1. et 2. Bona fides tan-  
 tundem possidenti praestat, quantum ueritas, que-  
 tiens lex impedimento non est, l. 136. D. de R. l.  
 Bonam uero uel malam fidem habere, facti est, non  
 iuris, quia utraque non a iure, sed ab hominis con-  
 scientia descendit l. 48. §. 1. D. de A. R. D. Inde  
 bonam fidem habere prae sumitur, qui credidit se  
 emere a domino, uel qui putat uendentem habe-  
 re ius uendendi, pr. l. de usucap. Haec tenus di-  
 cra simul indicant, aliud esse *in se*, aliud *bona fide*  
 possidere. Cum enim b. f. possidere sit animo  
 domini possidere: hinc creditor iustus quidem pi-  
 gnoris possessor, sed non etiam b. f. possessor dici  
 potest. Vid. L. B. de LYNCKER in Analect. ad tit.  
 Int. de interd. §. 5.

## §. VII.

INTER GENTES QVIDEM PROPRIETATEM INDU-  
 CTAM ESSE, IN IPSIS VERO GENTIVM SOCIETATI  
 IUS NON VBIQUE IUS PROPRIETATIS SINGU-  
 LIS CONCESSVM FVISSSE, PROBATVR EX  
 MORIBVS GERMANORVM.

Haec quae haec tenus de possessione in statu na-  
 turali, et inter gentes consuetudine introducta pro-

prietate; differimus, comprobant veteres Germani  
suis institutis. Olim enim uniuersus Germanorum  
populus in diuersas quidem gentes et res publicas  
particulares erat diuisus, unaquaeque tamen res  
publica sui juris, nec imperio alterius erat subiecta.  
Vid. SPENER in hist. Germ. uniuers. L. I. c. V.  
§. II. Quilibet populus suos fines custodiebat et de-  
fendebat, singulis uero nil proprii concedebatur.  
Id quod IVL. CAESAR in bello gall. L. IV. c. I.  
egregie declarat: Sueorum gens, inquit, est lon-  
ge maxima et bellicosissima Germanorum omnium.  
Li-centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotan-  
nis singula millia armatorum, bellandi cauſa, suis  
ex finibus educunt. Reliqui domi manent: pro se  
atque illis colunt. Hi rursus inuicem anno post in  
armis sunt: illi domi remanent. Sie neque agricul-  
tura, neque ratio, neque usus belli intermittitur: sed  
priuati ac separati agri apud eos nihil est: neque lon-  
gius anno remanere uno in loco, incolendi cauſa, licet.  
Idem uberioris testatur CAESAR cit. L. VI. c. XXII.  
dicens: neque quisquam agri modum certum, aut  
fines proprios habet; sed magistratus ac principes in  
annos singulos gentibus, cognitionibusque homi-  
num, qui una coierunt, quantum eis, et quo loco  
uitum est, attribuunt agri, atque anno post alio  
transire cogunt. Eius rei multas afferunt cauſas,  
ne assida consuetudine capti studium belli gerendi  
agricultura commutent; ne latos fines parare stude-  
ant, potentioresque humiliores possessionibus expel-  
lant; ne accuratius ad frigora atque aestus uitandos  
qedi-

aedificant; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur: ut animi aequitatem plebem contineant, quum suas quisque opes cum potentissimis aequari uideat. Haec tenus romanus adeoque fide dignissimus testis CAESAR. Laudo meos Germanos, qui ob sui conseruationem cum gentibus iure gentium egerunt, inter se autem statum naturalem tenuerunt, rationique attemperarunt. Cur uero temporis tractu Germani ab hoc uiuendi modo recesserint, et possessiones proprietatis commutauerint, indeque et feuda et allodia extiterint, iam non est inquirendi occasio.

### §. VIII.

QVID IN SENSI IURIS FRVCTVM NOMINE  
VENIAT, EXPONITVR.

Fructus verbum interdum ius, interdum corpus significat l. 43. D. de euictione. Vtique significatu definiri possunt fructus, quod sint emolumenta rerum ordinaria; ideoque thesaurus ad fructus proprius non pertinet, quia emolumenatum extraordinarium est l. 7. §. 12. D. solut. matrim. bene tamen prouentus ex thesauro. Emolumenta rerum uel natura producuntur, uel propter rem percipiuntur. Illa naturales, haec civiles vocantur fructus. Isti rursus dividuntur in naturales in specie sic dictos, quos natura producit sine magna hominum cura et impendio; et industriales, quos natura non profert, nisi acceden-

te

*de magna hominum opera, et impensa. Vtrique iterum uel pendentes, qui fundo adhuc cohaerent; id eoque pars fundi sunt l. 44. D. de R. V. uel percepti, qui non solum perfecte sunt collecti, i. e. in horreis reconditi, sed etiam capti, ita ut terra fructus non amplius contineat. l. 78. D. eod. Ad fructus ciuiles spectant usurae, mercedes et pensiones etc. quae propter rem acquiruntur l. 34. et 36. D. de usuris, l. 62. D. de R. V. Omnes autem fructus uel extantes sunt, qui adhuc possidentur, prout percepti, uel consumti, idque uel naturaliter, u. g. comedendo, etc. uel cibiliter, u. g. uendendo, uel nouam speciem inducendo etc. Praeterea uel percepti, qui reuera et actu percepti; uel percipiendi, qui quidem actu non sunt percepti, meliori tamen diligentia exhibita percipi potuissent. l. 33. l. 62. §. 1. D. de R. V. Conf. LV DIVICIS in Doctr. pand. tit. de usur. et fruct. §. X. seq. De fructibus uero in uniuersum tenenda est regula: fructus non intelliguntur nisi deductis impensis, quae quaerendorum, cogendorum, conseruandorumque eorum gratia sunt; quo iure et bonae et malae fidei possessor uti potest, l. 36. §. 5. D. de heredit. petit. l. 46. D. de usur. l. 1. D. de fructibus et lit. expens. l. 4. D. de oper. seru. l. 7. pr. D. solut. matrim.*

### §. VIII.

*QVQ IN SIGNIFICATV RESTITVTIO ITEM QVE  
IMMVNITAS HIC AC CIPENDAE,  
INNVITVR.*

Dicit Pomponius in l. ult. §. ult. D. de V. S.

to-

totam restitutionem iuris esse interpretationem. Plura enim restitutionis uerbo continentur. Vid. BRISSONIVS de uerb. quae ad ius ciui. pertinent signif. ex edit. HEINECCI, uoce *restituere*. Gaio in l. 22. D. de V. S. *restituere* idem est ac *fructus reddere*, quam significationem iam nostram facimus, et per *fructuum restitutionem* intelligimus *omne emolummentum rei ordinarium* (§. VIII.) *actori praestandum*, *quod is habiturus esset, si res ei sine accepto iudicio redditia fuisset*. Immunitatem deriuat Paulus in l. 18. D. de V. S. a remissione oneris: eaque legibus conceditur, datur, indulgetur et tribuitur. Vid. BRISSONIVS citatus uoce *immunitas*. Secundus et quartus significatus huius sunt loci l. 4. §. 3. D. de Cens. l. 4. D. de iure immunit. Atque adeo immunitas bonaefidei possessoris a fructuum restitutione est *facultas fructus rei possessae suos faciendi, eosque ad successores transferendi.*

## §. X.

DE IUDICIIS GENERATIM AGITVR ET SPECIATIM  
PINIS IUDICII TAM REALIS QVAM PERSONALIS.  
INDAGATVR, QVOQVE MEDIO ILLE OBTINERI  
POSSIT, OSTENDITVR.

Sub uoce iudicij hic intelligitur *norma iure ciui- li praecripta, qua ius nostrum coram iudice persequi- mur*. In statu enim naturali cum omnes homines in- ter se sint aequales, (§. III.) nemo indicandi potestâ-

D

tem

tem sibi arrogare potest; adeoque constat iudicia a legibus naturalibus aliena esse, et sui custodiam modo permittere, ut nimirum uis propulsimus. Litigatur autem in statu ciuili uel super possessione, uel super proprietate, et inde iudicia uel possessoria uel petitoria vocantur l. 14. §. ult. D. de except. rei iud. Possessio defenditur per interdicta, vid. t. t. D. de interdicto. Et quoniam in statu ciuili cuiusvis possessor sua possessione sustinetur, donec de iure constet, (§. VI.) intellectu facile est, bonae fidei possessorem ante discussam proprietatem omnibus possessionis comodis gaudere. Proprietatem rei uel iam nobis acquisivimus, uel ea adhuc obtinenda est a persona nobis obligata. Inde ius in re, hoc est facultas homiti in rem competens sine respectu ad certam personam; hinc uero ius ad rem, nimirum facultas competens personae in personam, ut haec aliquid dare uel facere teneatur, oritur. Vid. HEINECCIVS ad Inst. §. 331. seq. Ex iure in re iudicia realia, seu vindicationes, ex iure ad rem iudicia personalia, seu conditiones, descendunt. Vid. §. 15. I. de action. ibique Theophilus in paraphrasi. Finis iudicij realis est iuris in re vindicatio a quocunque possessore. Iudicium uero personale eo tendit, ut ius nostrum obtineamus, quod nobis debetur ex alterius obligatione l. 25. pr. D. de obl. et aet. Ne autem iudicia sint uana, necesse est, ut ab aduersario acceptentur, quod fit per litis contestationem, quae est iudicij suscepit utrinque facta profissio super petitione actoris et rei contradictione. Vid. I. un. C. de lit. cont. C. un. X. eod. Hoc pacto autem inter

ter actorem et reum quasi contrahitur, indeque nascitur actio rei iudicatae l. 3. §. II. D. de pecul. Praeterea litis contestatio possessorem constituit in mala fide, l. 10. C. de acquir. et retin. poss. efficitque, ut ad fructus quoquis, ex eo tempore restituendos, regulariter teneatur l. 22. C. de R. V.

## §. XL.

QUEMADMODVM IUDICIA RESPECTU OBJECTI  
DIVIDANTVR, EXPOSITIVR, SIMVLQVE DE RE-  
RVM VNIVERSITATE GENERALITER  
AGITVR.

Iudicia uel ob rerum uniuersitatem, uel ob certum bonorum genus, ueluti in societate, tutela etc. uel propter rem singularem mouentur. Hinc in uniuersalia, generalia et singularia disperiuntur. Rerum uniuersitas est complexus iurium et rerum corporalium, quibus singulæ res nomine collectio sub iis comprehensa opponuntur. Ad huiusmodi uniuersitatis classem potissimum hereditas, peculum et dos pertinent. Vid. l. 20. §. 10. D. de heredit. petit. l. 1. §. 3. D. de R. V. l. 1. §. 4. D. de dote praeleg. l. 1. pr. D. de interd. l. 1. §. 1. D. quor. bonor. Quum igitur rerum uniuersitati singulæ res opponantur, sequitur, ut in iudicio uniuersali pretium succedat in locum rei, et res, uniuersitatis cauſa atque pecunia comparata, in locum pretii. l. 20. pr. et §. 1. l. 22. D. de hered. petit.

D 2

§. XII.

## §. XII.

A QVORVM FRVCTVVM RESTITVTIONE E. F.  
POSSESSOR IN IVDICIIS REALIBVS IMMVNIS  
SIT IVDICANDVS, DEMONSTRATVR.

Cum in statu naturali omnes ex re possessa prouenientes fructus ad iustum pertineant possessorem, (§. III.) et civilis possessio imitetur proprietatem, (§. VI.) huic autem liberâ de re dispositio et omne ex re commodum adhaereat; (§. IV.) patet inde, bonae fidei possessorem, ante motum iudicium reale, non solum sine restitutionis formidine de re possessa libere posse disponere, uerum etiam omne rei emolumentum, ideoque uniuersos fructus, capere. Reete Vlpianus in l. 25. §. II. D. de heredit. petit. dicit: Consuluit Senatus b. f. possessoribus, ne in totum damno adfiantur, sed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti sunt. Quemcunque igitur sumtum fecerint ex hereditate, si quid dilapidauerunt, perdidierunt, dum re sua se abuti putant, non praefabunt: nec si donaverint, locupletiores facti videbuntur; quamuis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt. Praeterea Paulus in l. 48. D. de A. R. D. bonae fidei emtor, inquit, non dubie percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia et opera eius peruenierunt, sed omnes; quia quod ad fructus attinet, loco domini pene est. His adstipulatur Julianus in l. 25. §. I. D. de usuris, perhibens: Bonae fidei possessor in percipi-

cipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis praediorum tributum est. Ista uero ICtorum sententiae cum uniuersalibus iuris principiis conueniant, ita merito iis tuto inhaerere possumus. Pomponius quidem in l. 45. D. de usuris, ansam dissensus dedit, ut iuris interpres, ratione fructuum a b. f. possessore lucrandorum, in diuersas abierint partes. Dicit autem Pomponius: Fructus percipiendo uxor uel vir ex re donata suos facit: illos tamen quos suis operis adquisierit, uelati serendo. Nam si pomum decerpserit, uel ex sylva caedit, non sit eius; sicuti nec cuiuslibet bonae fidei possessoris: quia non ex facta eius is fructus nascitur. Inde concludere uoluerunt nonnulli ICti, b. f. possessorem fructus tantum industriales suos facere, non uero naturales in specie sic dictos, nisi consumserit. Vid. TEXTOR in Disp. Acad. disp. XXI. §. 36. Id quod euidenter uniuersali iuris dispositioni refragatur. Si enim b. f. possessor loco domini est, donec uerus dominus eueniat, necessario sequitur, ut ad illum ante institaram a domino aetionem omne emolumentum rei pertineat. Adhaec in iudicio petitorio etiam ad restitutionem fructuum industrialium respicitur, deductis impensis, (§. VIII.) quia omnis fructus non iure feminis, sed iure soli percipitur l. 25. pr. D. de usuris. Bene recteque igitur non solum DE RE PUBLICA PATRIA BRÈMENSI, uerum etiam de re litteraria optime promeritus ICtus EVERARDVS OTTO, in Comment. ad Institut. tit. de rer. diuis. §. 35. monuit: citatam legem 45. D. de usuris tantummodo ad casum improbatae donatio-

nis inter virum et uxorem pertinere, et uerba  
sicut nec cuiuslibet, ad similes b. f. possesseores titulo  
destitutos. Negari tamen non potest, uerba Pompo-  
nii: quia non ex facto eius is fructus nascitur, no-  
vam dubitationem afferre. At uero si ingenue  
dicendum, quod res est, ex iam deducit constat,  
Pomponii in l. 45. D. de usuris sententiam uel in-  
telligendam esse de singulari casu, uel aperte con-  
tendere aduersus iuris rationem. Si prius, uerba  
Pomponii stricte sunt interpretanda; sin uero po-  
sterius, Pomponii profecto opinio ius uniuersale de  
fructibus inuertere non potest. l. 14. et 15. D. de LL.  
Ex quo autem b. f. possessor scit a se peti, simul  
incipit esse malae fidei possessor (§. VI.) Vid. l. 20.  
§. II et l. 25. §. 7. D. de heredit. pet. et tunc *fructus*  
*ante item contestatam perceptos et extantes restituit*.  
quia pars fundi sunt, l. 44. D. de R. V. et iure acces-  
sionis ad dominum pertinent (§. V.) Vid. l. 49. §. I.  
D. de R. V. l. 22. C. eod. Bene autem monet ~~LEY-~~  
~~SER~~ in medit. ad pand. Sp. 249. med. II. fructus  
extantes hic dici, qui quidem tempore rei iudicatae  
iam consumti, sed tamen tempore litis contestatae  
adhuc penes possesseorem fuerunt. Ante discussam  
enim proprietatem omnibus possessionis commodis  
gaudet b. f. possessor. (§. X.) Idem quoque a resti-  
tutione *fructuum ante L. C. consumitorum plane im-*  
*minuis est, siue agatur iudicio uniuersali, siue singu-*  
*lari;* consumisit enim illos opaione domini, (§. VI.)  
Vid. §. 2. Inst. de offic. iud. ubi expresse disponitur:  
Et si hereditas petita sis, eadem circa fructus inter-  
ueni.

ueniunt, quae diximus interuenire de singularium  
rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos  
culpa sua possessor non perceperit, sive illorum quos  
perceperit, in utraque actione eadem ratio pene  
habetur, si praedo fuerit. Si uero bona fidei posses-  
sor fuerit, non habetur ratio neque consumtorum,  
neque non perceptorum. Ideoque notanter dicit  
Theophilus in paraphrasi ad cit. §. 'Ει δὲ bona fide  
νομένης ἐστιν εὐαγγέλου, οὐκ αἴπατηθήσεται, οὐδὲ  
ΟΤΣ ΕΔΑΠΑΝΗΣΕ ΚΑΡΠΟΤΣ, ὅπερ ἡντά ἔσθυμιαν ἔν  
ἔλασε. Et porro: Ταῦτα μὲν διν περὶ τῆς σπενσαλίας in rem  
τὰ αὐτὰ δὲ καὶ ἐπὶ τῆς hereditatis petitione ἔχοντω.  
In iudicio autem singulari pariter b. f. possessorem a  
fructuum ante L. C. consumtorum restitutione libe-  
rat Paulus in I. 4. §. 2. D. fin. reg. dicens: Post li-  
tem autem contestatam etiam fructus uenient in hoc  
iudicio: nam et culpa et dolus exinde praestantur.  
Sed ante iudicium percepti non omnimodo hoc in  
iudicium uenient: aut enim bona fide percepit, et  
lucrari eum oportet, si eos consumfit; aut mala fide,  
et condici oportet. Add. I. 4. §. 19. D. de usurp.  
Ratio haec tenus adductarum legum facile constat, si  
consideramus, b. f. possessorem tam rerum uniuersi-  
tatem quam rem singularem possidere animo domini,  
et huiusmodi possessionem imitari proprietatem. (§.  
VI.) Atque adeo absurdum esset, si b. f. possessor,  
qui re instar domini utitur, ad b. f. consumtos fructus  
refundendos adigeretur. Post item uero contesta-  
tam b. f. possessor habetur pro m. f. possessore, et ex eo  
tempore ad fructuum tum perceptorum tum percipiendis.

*dorum restitucionem regulariter obligatur. (§. X.)*  
*Dico regulariter. Nam damnatus ad fructus restitu-*  
*endos, si, plus se impendisse in fructus quam lucra-*  
*tum esse, proberet, nihil restituit, quia fructus non in-*  
*telliguntur nisi deductis impensis. (§. VIII.) Porro*  
*cum bona fides tantundem possidenti praefestet, quan-*  
*tum ueritas, (§. VI.) inde colligitur, tamdiu pro b. f.*  
*possessore ualere prae sumptionem, quamdiu a petitore*  
*contrarium non fuerit probatum. Quapropter ob*  
*sblam litis contestationem b. f. possessor non restituit*  
*fructus perceptos et percipiendos. Necesse enim*  
*est, ut is qui mala fide possidere dicatur, desinat*  
*ignorare, rem alienam esse. l. 109. D. de V. S.*  
*Hanc vero ignorantiam actio ab altero instituta non*  
*tollit, nisi fundamentum suae actionis actor proberet.*  
*Vid. LEYSER in medit. ad pand. Sp. 99. m. 6. et Sp.*  
*450. m. 3 et 4. Igitur ex eo tempore, quo rei domi-*  
*nium plene fuerit probatum, demum constituitur b.*  
*f. possessor in mala fide, adeoque, si res iure iurando*  
*suppletorio euincitur, post iuramenti praestatio-*  
*nem. Bona fides enim pro ueritate habetur, donec*  
*contrarium non appareat. Quamdiu uero de hoc*  
*non constat, tamdiu quoque b. f. possessor a fructuum*  
*tam perceptorum quam percipiendorum restitutio-*  
*ne merito iudicandus est immunis. Litis contestatio*  
*enim potissimum producit actionem rei iudicatae, (§.*  
*X.) et in ipsa sententiae executione demum proprietati*  
*quis quaestio praefertur quaestioni possessionis. (§. V.)*

## §. XIII.

## §. XIII.

**I**CTORVM DOCTRINA DE R. E. POSSESSORIS IN IV-  
DICIO VΝIVERSALI AD RESTITVENDOS FRVCTVS  
ANTE L. C. CONSUMTOS, QVIEVS LOCVPLETIOR  
FACTVS, OBLIGATIONE EXAMINATVR.

In omnibus paene iuris prudentiae systematibus defenditur thesis: *b. f. possessorum in hereditatis peti-  
tione adigendum esse ad restitutionem fructuum con-  
sumitorum, si exinde locupletior factus sit.* Vid. LV-  
DOVICI in Doctr. pand. tit. de heredit. petit. §. 5.  
HVBER in praelect. ad tit. Inst. de rer. diuis. §. 48.  
STRYK in usu moderno pand. tit. de R. V. §. 12.  
aliique. Quemadmodum uero haec opinio cum le-  
gibus et analogia juris conueniat, non uideo. Pro-  
uocant quidem citati ICti ad l. 20. §. 6. l. 25. §. 11. l. 28.  
l. 40. §. 1. D. de heredit. petit. et in primis ad l. 1. §.  
1. C. eod. ubi disponitur: *Vsuras uero pecuniarum  
ante litis contestationem ex die uenitioris heredita-  
riarum rerum, ab eo factae, qui anteā possidebat,  
collectas, nec non etiam fructus, bonae fidei possesso-  
res reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores  
exitierint.* Sed in allegatis legibus nec uola nec ue-  
stigium de fructibus consumitis proprie appareat.  
Profecto rationi repugnat, *b. f. possessorē posse qui-  
dem secundum l. 25. §. 11. D. de hered. pet. res here-  
ditarias dilapidare, perdere, donare, non autem  
fructus hereditatis in suam utilitatem consumere; cu-  
ius contrarium tamen docet §. 2. I. de offic. iud.*

E

Le-

Leges igitur, ad quas prouocant dissentientes in ea accipiendae sunt significatione, quae uitio caret: praesertim cum etiam uoluntas legis ex hoc colligi possit. l. 19. D. de LL. Tota autem controuerteria uno iectu cadit, si consideramus, adductas leges hanc disponere de fructibus consumptis, sed de lucro adhuc extante, de quo Paulus in l. 28. D. de hered. pet. intelligendus, dicens: Post SCium omne lucrum auferrendum esse tam b. f. possessori, quam praedomi. Iam uero expediti juris est, lucrum in hereditatis petitione existens non pertinere ad fructus, sed ad ipsas res hereditarias, quippe quae rerum uniuersitatem constituant, ubi pretium succedit in locum rei, et res uniuersitatis causa atque pecunia comparata in locum pretii. (§. XI.) Inde intelligitur cur in l. 20. §. 3. D. de heredit. pet. dicatur: Fructus omnes augeri hereditatem, siue ante aditam, siue post aditam hereditatem accesserint. Igitur b. f. possessor, succubens in hereditatis petitione, res pretium fructus et lucrum, ad rerum uniuersitatem pertinentia, quatenus adhuc extant, restituit; l. 22. D. de hered. pet. intuitu uero earum ad hereditatem spectantium rerum, quas ante L. C. plene consumpsit, omnibus iuriis §. antec. recensisit omnino gaudet. Quapropter Vlpianus in l. 25. §. 1. 15 et 16. D. de hered. pet. b. f. possessor, inquit, si rem consumpsisset, in totum lecupleior factus non uidebitur. Item si quid latius contemplatione hereditatis impedit. Secus, si re hereditaria utens suae parsit, quo casu lucrum remanet. l. 72. D. de legat. 2.

## §. XIII.

## §. XIII.

B. F. POSSESSOREM IN IUDICIO SINGULARI A RESTITUTIONE FRVCTVVM ANTE L. C. CONSVMTO-  
RVM, ETIAMSI EXINDE LOCVPLETIOR FACTVS  
SIT, PLANE IMMVNEM ESSE, CONTRA IN-  
CONGRVAM PRAXIN DEFENDITVR.

Peruulgatus error, quasi b. f. possessor ad fructus consumtos, quibus locupletior factus, restituendos, obstrictus sit, peperit alium adhuc crassorem. Putarunt enim nonnulli ICti, intuitu b. f. possessoris ratione lucri capti idem iuris esse in iudicio singulari, quam in uniuersali. Videatur in primis L. B. de LYNCKER in Analectis ad Inst. tit. de rer. diuis. §. 36. et tit. de offic. iud. §. 2. et STRYK in usu moder. pand. tit. de R. V. §. 12. At uero argumenta, quae hi summi alias ICti pro sua defendenda sententia proferunt, me non mouent, ut conclusiones ex uniuersalibus principiis §. XII. deductas deseram. Quod enim ab allegatis ICtis ab hereditatis petitione petitur argumentum, est consequentia a particulari ad uniuersale. Etenim in iudicio uniuersali spectatur rerum uniuersitas, cui et lucrum inest; (§. XIII.) Contra eam in iudicio singulari quaestio est de re singulari restituenda, ubi nec pretium nec fructus nec lucrum succedunt in locum rei. l. penult. C. de petit. hered. l. 6. C. de R. V. Hoc igitur argumentum euidenter analogiae iuris repugnat. Nam ubi eadem est ratio, ibi demum eadem iuris dispositio intellegitur. Nec maioris ponderis est ratio ex l. 206. D. de R. I. a Stryklo citato sumta, quod nimirum locu-

pletior nemo cum alterius damno fieri debeat. Profecto, qui iure suo uitetur, nemini damnum dare uidetur. l. 24. §. 1. D. de damno infect. Iam uero, cum b. f. possessor loco domini sit (§. VI.) ratio dictata, posse eum ante motum petitorum re singulari instar domini plene uti, omnes ex re fructus suos facere atque eorum consumtione lacrum capere. Adhaec iure suo absque expressa lege nemo est priuandus, sed potius iudiciorum legumque solitus ordo seruandus. l. 6. §. 4. C. de his qui ad eccles. confug. l. 4. C. de sent. et interl. Nunc autem in l. 4. §. 2. D. fin. reg. expresse habetur, b. f. possessorem lucrari oportere fructus ante iudicium perceptos, si eos consumbit; atque adeo firma et inconcussa manet nostra assertio, (§. XII.) b. f. possessorem a restitutione fructuum ante L. C. consumtorum plane immunem esse, siue agatur iudicio uniuersali, siue singulari.

## §. XV.

QUATENVS B. F. POSSESSOR IN IUDICIO PERSONALI A RESTITUTIONE FRUCTUVM IMMVNIS  
SIT HABENDVS, BREVITER INDICATVR.

Finis iudicij personalis est, ut ius nostrum obtineamus, quod nobis debetur ex alterius obligatione. (§. X.) Obligatio alterius uel oritur *ipso iure*, uel *ex facto obligatorio*. Et inde iudicia personalia uarias sortiuntur denominations et diuisiones, de quibus agere nostri non est instituti, quod haec omnia in praefenti tractatione iam supponimus, adeoque lectorem ad HEINECCI element. iur. ciu. sec. ord. inst. §. n. 45. seqq. remittimus. Hic tamen monere iuuat, alia

alia iudicia personalia esse bonae fidei, alia stricti iuris.  
 In illis iudicii, olim arbitro, conceditur liberior potestas ex bono et aequo aestimandi, quantum alteri dare uel facere oporteat: §. 30. Inst. de aet. in his uero iudicis potestas olim formulae, iam conuentioni partium, adstricta est l. 99. D. de V. O. De usu practico horum iudiciorum uid. GUNDLING, in peculiari dissertatione, quae inter eius exercitationes iunctim editas XV est Tom. I. add. cit. HEINECIVS §. n96. Hoc certum est, omnes quae ex negotio unilaterali oriuntur actiones esse stricti iuris, bonae fidei uero, quae ex bilateralis descendunt negotia. Nunc videamus, quatenus etiam in iudiciis personalibus rerum possessores restitutioni fructuum sint obnoxii. Rem acu tetigit ICtus Paulus in l. 38. D. de usuris, ubi iudicia personalia refert, in quibus fructus sunt restituendi. Nimirum alter aut rem nostram, quam iudicio personali persequiatur, debet, ut in condicione indebiti, condicione caussa data, causa non secuta etc: aut ad rem nobis simpliciter debitam obligatus est, ut in condicione certi ex mutuo, actione emti etc. Si quis igitur rem nostram ob caussam datam acceperit, et per eum steterit, quo minus caussa fuerit secuta, tunc res cum omnibus fructibus, qui percepti sunt ex eo tempore quo sperabatur caussa, restituenda est, ne scilicet accipiens quidem, sed promissum non implens, cum dantis damno locupletior fiat, cit. l. 38. §. 1. D. de usuris. l. 14. D. de condit. indeb. Idem obtinet, si indebitum solutum repetitur, cit. l. 38. §. 3. de usuris. l. 15. pr. et l. 66. D. de condit. indeb. Hoc tamen casu, fructus ante

L. C. consumtos lucratur b. f. possessor, quia consumtio facta opinione domini. (§. XII.) Si aetio pro socio mouetur, fructus sibi communicandi, cit. l. 38. §. 9. D. de usuris. Si res nostra, tempore definito, non redditia, debentur fructus ex mora tam in b. f. quam in stricti juris iudiciis, cit. l. 38. §. 1 et 8. D. de usuris, add. l. 39. D. eod. Contra ea, si iudicio personali ab altero rem nobis simpliciter debitam petitum in b. f. iudiciis, fructus restituendi sunt a tempore morae, in stricti juris vero actionibus, ex quo iudicium est acceptum l. 32. §. 2. l. 34. l. 38. §. 7. et 15. D. de usur. l. 31. pr. D. de reb. credit. l. 78. §. 1. D. de V. O. Mora est rei peragendae iniusta d. latio, LUDOVICI in Doctr. pand. tit. de usur. §. XV. Haec inducitur uel ex re, uel ex persona. Inde distinctio nata in moram realem et personalem l. 32. pr. l. 38. pr. D. de usur. Realis est quam lex introducit, ponendo aliquem in mora, citra factum hominis. Personalis vero oritur ex interpellatione hominis, cit. LUDOVICI in usu. praet. dist. iurid. tit. de usur. dist. XI. Mora realis semper in iudiciis tam b. f. quam stricti juris intelligitur, si alter rem nostram tempore definito non restituit. Hic enim dies interpellat pro homine l. 12. C. de contr. et comm. stipul. Idem quoque obtinet, si agitur ad rem nobis simpliciter debitam in iudiciis b. f. l. 38. §. 15. D. de usur. l. 13. l. 16. C. de aet. emt. et uend. non vero in iudiciis stricti juris, per iam deducta; quem tamen juris romanii rigorem intuitu mutui Rec. Imp. de an. 1600. §. so viel nun 139. correxit, huncque contractum morae reali subiecit. Quaecunque autem alias debi-

*debitorem morae obnoxium non faciunt, illa quoque b. f. possessorem a restitutione fructuum liberant.* Igitur a restitutione fructuum in personali iudicio immunis est iudicandus b. f. possessor, si iuste ad iudicium pronocauit et aduersarius istud non acceptit, l. 24. pr. D. de usuris. Porro si per petitorem stat, ut res non solvantur aut recipiantur. l. 38. §. 1. D. eod. Mora enim cuique sua, non alii nocere debet. l. 173. §. 2. D. de R. I. Et denique si b. f. possessor. optimam differendi rationem habet, et res ab eo propter exceptio- nem peti non potest l. 21. D. de usur. l. 40. de reb. credit.

### §. XVI.

QVEMADMODVM §. XV. ART. V. I. P. OSNAB. DE  
RESTITVENDIS FRVCTIEVS SIT INTELLI-  
GENDVS, DECLARATVR.

Coronidis loco adhuc adducere iuuat sanctio-  
nem in l. p. OSNAB. ART. V. §. XV, quae ita se ha-  
bet: Si igitur Catholicus Archiepiscopus, Episcopus,  
Praelatus, aut Aug. Confessioni addictus in Archiepi-  
scopum, Episcopum, Praelatum electus vel postula-  
tus, solus aut una cum capituloaribus seu singulis, seu  
uniuersis, aut etiam alii Ecclesiastici, religionem in  
posterum mutauerint, excidant illi statim suo iure,  
honore tamen famaque illibatis, fructusque et redi-  
tus citra moram et exceptionem cedant, capituloque  
aut cui id de iure competit, integrum sit, aliam per-  
sonam religioni ei, ad quam beneficium istud vigore  
huius transactionis pertinet, addictam, eligere aut  
postulare, relictis tamen Archiepiscopo, Episcopo,  
Prae-

Praelato etc. decedenti, fructibus et redditibus interea  
 perceptis et consumptis. HENNIGES in medit. ad hunc  
 locum existimat, Praesulem religionem mutantem  
*fructus extantes* non lecrari, quia magis ecclesiae ef-  
 fe credantur, quam Praefulsi eius, qui eorum tantum  
 fidus dispensator sit. Obstare tamen uidetur C. unic.  
 de clericis non resid. in 6to, ubi clericis dominium in  
 fructibus quoque superfluis ex beneficiis redactis vin-  
 dicatur. Qued et statuendum, si Praefulsi fructus ex  
 feudo capit; quoniam fructus feudi ad res allodiales  
 spectant. Vid. HORN. in iurispr. feud. C. XVI. §. 29.  
 Adhaec fructus, quos Praefules ex re ecclesiae acqui-  
 runt, pertinent ad eorum sustentationem, quae illis ra-  
 tione munieris, quod ecclesiae praestant, praebenda.  
 Nihilominus tamen citato AVCTORI medit. ad I. P.  
 OSNAB. assentior. Cessante enim ob religionis mutatio-  
 nem Praefulsi munere, cessat quoque eius sustentatio,  
 indeque in allegato loco I. P. OSNAB. positum est:  
*fructusque et redditus citra moram et exceptionem ce-  
 dant.* Fructus uero, sive naturaliter sive ciuiliter con-  
 sumti, (§. VIII.) eo magis Praefuli religionem mutanti  
 relinquendi sunt, quod intuitu eorum non solum pro  
 b. f. possessore (§. XII.) sed etiam pro domino est  
 habendus. Haec sunt, quae de immunitate b. f.  
 possessoris a restitutione fructuum in iudicio tam reali  
 quam personali, speciminis inaugralis  
 causa, exponenda duxi,



PRAENOBILISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

JOHANNI MEIERO

S. P. D.

D. IOHANNES IACOBVS HOEFLER.

ORDINIS ICTORVM H. T. DECANVS

Nihil suauius, nihil iucundius mihi evenire potuisset,  
PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE,  
quam data atque accepta publice TE iani alloquendi,  
TIBI QVE promeritum laudis testimonian*m* imperti-  
endi occasio, quam dimittere et non ambabus, ut a-  
iunt, manibus amplecti, religio mibi est. Ex quo e-  
nim ad ALMAM ACADEMIAM IULIAM CAROLI-  
NAM accessisti, nihilque obtigit, tum in acroſſibus me-  
is, tum in coniectu, TVA consuetudine ut paullo fre-  
quentius uterer, ea semper mibi eo gratior, quo honestior  
fuit. Non autem mihi solum, sed quibuscumque aliis et-  
iam indeam ingenuam, industriam, modestiam singula-  
rem, aliasque egregias animi dotes sic approbasti, ut a-  
morem omnium et facile prouocares, et in dies auge-  
res. Ego uero, PRÄESTANTISSIME DOMINE  
CANDIDATE, semper de TE sperabam, TE tales futurum,  
qualem cognitum iudicaram. Nec spes me fe-  
fellit. Nam confueris in examinibus, quae TECUM  
ordinis nostri summos honores postulante legitime  
erant ſuſcipienda, egregiae iuris scientiae ea docu-  
menta dedisti, ut communis suffragio dignissimus

F

sum-

summis in iure honoribus candidatus sis iudicatus, et  
perquam honorifice acceptus. Iam uero, specimenis  
inauguralis causa, ad disputandum proposuisti mate-  
riem non inanibus inuolutam speculationibus, sed com-  
moda explicatione eorum, quae in ipsis rerum obtinent  
argumentis, praestantem. Hoc patet autem mature  
demonstras, solidam iuris prudentiam perpetua theorie  
cum praxi coniunctione abfolui. Cuius conatus, ex-  
perientia doctus, felicissimos TIBI auguror successus.  
Omnis enim doctrina non scholae, sed uitae est accom-  
modanda. Laetus igitur TECVM cathedram conscen-  
dam, TEQUE, quod DEVS IMMORTALIS felix fau-  
stumque esse iubeat, ORDINIS NOSTRI sodalem faci-  
am. Primus es, CONSULTISSIME DOMINE  
CANDIDATE, cui summos in utroque iure honores  
pro muneric atque officii mei ratione impertior, eosque  
dignissimo me præbere, uehementer gaudeo. Ita uero  
PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, e-  
gregie premis uestigia B. DOMINI PARENTIS, VIRI  
quondam ILLVSTRIS et de INCLVTA RE PVBLI-  
CA BREMENSI CONSULIS optime promeriti, me-  
que spes alit, fore, ut in patria republica pariter  
optimi ciuis partes impleas. De cuius prospere euen-  
tu et TIBI, et INCLVTAE REI PVBLICAE BRE-  
MENSI, et CONSPICVAE GENTI TVAE, in an-  
tecessum ex animo gratulor. Vtere ad summam us-  
que senectutem firma et perpetua ualeitudine, quaque  
animi inclinatione praesens me hucusque complexus  
es, ea et absens me dignare. Dabam in Academia Iu-  
lia Carolina XIII Calendar. Nouembr.

cIICCLXI



VIRO CONSULTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
IOHANNI MEIER  
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO  
DIGNISSIMO  
AMICO SVAVISSIMO  
S. P. D.  
PHILIPPVS SCHOENE  
BREMENSIS.

---

Non possum, quin ex intimo cordis affectu TIBI  
gratuler summos in utroque iure honores, propediem  
TIBI, CANDIDATE DOCTISSIME, conferendos. Effe-  
cisti sane laboribus TVIS, quibus solidae ac masculae le-  
gum scientiae incubuisti, ut felicissimo successu difficulta-  
tes, quae artem nostram impeditam reddunt, superares,  
iamque honoribus istis, tanquam amplissimis doctrinae  
TVAE praemiis, potireris. Vt et arctissima, qua inuicem  
utimur, familiaritas, quo minus in laudes TVAS excur-  
ram, nec attinet eas ulterius persequi, cum, me tacente,

TV A satis ex elegantissima, quam conservissima, dissertatione patet eruditio. Nihil itaque superest, quam ut sincerissima pro TV A salute vota concipiam, sumnumque rogem Numen, ut TE ad patrios Lares reversum, omnibet felicitatis genere, TEQUE in reipublicae commodum, splendidissimae familiae TV AE ornamentum, amicorumque TVORVM voluptatem, quam diutissime rebus humanis interesse insbeat. Vale, AMICE SVAVISSIME, et uti de prolixa mea in TE voluntate non dubitas, ita nec TVAM amicitiam mibi unquam difore, prorsus confido. Dabam Helsingiadie XXII. Octobris

MDCCLX.



VIRO PRAE NOBILISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO  
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO  
DIGNISSIMO  
IOHANNI MEIER  
S. P. D.  
CONRADVS HEINEKEN  
BREMENSIS.

Summa perfundar, AMICE SVAVISSIME, laeti-  
tia, quum te laures doctorali iamiam decorandum appetio-  
do. Adeo arctum enim est, quo diuturnum vitae studiorumque  
confertium animos nostros coninxit, amicitiae vinculum, ut  
corum, quae tibi eveniunt, semper aliqua pars in me re-  
dundet. Et hinc non tam tibi quam mihi gratuler, quod,  
qui assidu laboris et indefessi studii, quo universam iurispru-  
dentialae campum frenue coluisti, testis fui, nunc idem con-  
ferendis in te honoribus Doctoralibus adesse queam. Supre-  
mum vero Numen suppplex imploro, ut illos falso accipias  
omine, usque per longissimam vitae spatium fructus in emol-  
lumentum patriae et splendidissimae familiae decus. Vota  
mea te conseruant ab his, et non soltar incolumem in patri-  
am redire, sed etiam te profixa semper fortuna uti inueni-

Vale et me amare non desine. Lubam Helmstadiz

d. XXII. Octobr. MDCCCLXI.

MS. 25



VIRQ FRAENOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

IOHANNI MEIER

SVMMORVM IN VTRQVE IVRE HONORVM

CANDIDATO DIGNISSIMO

AMICO CONIVNCTISSIMO

S. P. D.

JOHANNES DVNTZE

BREMENSIS.

Violarem certe sanctissima amicitiae, quae inter nos  
intercedit, iura, si, quae mea sit hoc die lactitia, verboſius  
enarrarem. Nofit, AMICE SVAVISSIME, animum meum,  
novi T V M: dubitare itaque nequis, quin mibi largiflammam  
gaudendi copiam datam effe existimem, cum TIBI prospera  
evenire, teque dignis T V A cruditione honoribus exornari  
videam. Fausta fuit perpetuo, precor, haec, quae fausto  
omine, et applaudente Illustri in hac academia ICtorum ordi-  
ne, reportas, luebrationum T V A R V M praemia. Utter iis  
quam diutissime salvus ac incolumis; et post felicem in patri-  
am reditum, doctrinae atque virtutis T V A E fructus cape  
dulcissimos uberrimosque. Vale, AMICE CARISSIME, et  
mei non immemor vive.

Dabam Helmstadii,  
die XXII. Octobris,  
MDCCCLXI.



CÖNSVLTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO  
AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

ALBERTVS GROENING

BREMENSIS

I. V. S.

---

*Nil mibi quidem gratius, nil unquam acceptius ac-  
cidere potuisset bac dudum optata occasione TIBI, VIR PRAE-  
NOBILISSIME, quocum magna mibi ab eo tempore, quo  
me in amicorum TVORVM numerum excipere haud designatus  
es, tum vero maxime ultimo hoc semestri, quod TE CV M in Al-  
ma nostra IULIA CAROLINA studiis terere contigit, inter-  
cessit familiaritas, publice gratulandi, tam de exantlatis sub  
felicibus auspiciis studiis academicis, quam de paeclarissi-  
mo eruditioris specimen, dissertatione nimurum inaugurali,  
qua iis coronam imposuisti, quoque simul TIBI summos in  
utroque Iure honores, et lauream DOCTORALEM, tot deni-  
que lucubrationibus, tamque indefessae industriae, qua semper  
Pieriis invigilasti eboris, debitum praemium legitime conci-  
liasti.*

*Quod banc TV AM Dissertationem attinet, VIR CON-  
SVLTISSIME! fatendum quidem, haud exigui esse momenti,  
quod suscipis negotium. Elegisti argumentum difficile admis-  
sum et ponderosum, quaectionem movens inter ICtos bucus-  
que*

que maxime controversam, multisque tricis involutam. Sed  
TV, me quidem iudice, ita perfundus es officio, leges, quae  
sibi primo intuitu contradicere videbantur, conciliando, eas-  
que ad prios Iuris fortes reducendo, ut TVA in castra mul-  
tos, a TE usque adhuc dissententes, transiit non sine rati-  
one omiser. Solidissimis asserta TVA intruxisti argumentis,  
quibus, quae sepe TIBI offerebant adversariorum aenigmata;  
dextere dissolues, Themide nusquam invita, victoriamque  
slenem et omnibus suis nuncius absolutam illustri ex hoc,  
ad quod TE accingis, certaine reportaturus.

Gratulor TIBI ex intimo cordis affectu de honoribus  
hoc actu ex omnium admiratione in TE redundatibus; maxi-  
me vero de summo in Utroque Iure Gradu a TE dignissime  
caepiendo. Servet TE DEVST. O. M. in gaudium et  
ornamentum NOBILISSIMAE TVAE FAMILIAE, in Pa-  
triae Reipublica, ad quam iter paras, emolumenorum, inque  
Orbis Literarii decus! Fortunet, prosperet, feciendet res,  
conatus atque vota TVA. Augeat amplificetque novos, quos  
consecutus es, Honores quibusvis aliis egregiis amplissimisque.  
Sic vale et favore TVO, prouti bucusque fecisti, prosequi num-  
quam desine amicum TIBI devinetissimum.

Dabam ATHENIS ad ELMVM  
die XXII. Octobr.  
MDCCLXI.



**ULB Halle**  
003 742 423

3



f

TA → OL

nur 143 Sh. N verknüpft





9324 2  
929

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
**IMMVNITATE**  
BONAE FIDEI POSSESSORIS 1761,2  
A RESTITUTIONE FRVCTVVM  
IN IVDICIO TAM REALI  
QVAM PERSONALI

---

QVAM  
IN INCLVTA ACADEMIA IULIA CAROLINA  
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE

**D. IOHANNE IACOBO  
HOEFLERO**  
ICTO ET ANTECESSORE H. T. DECANO  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORVM  
MORE MAIORVM RITE ET LEGITIME  
IMPETRANDIS  
AD DIEM XXIII OCTOBVRIS MDCCCLXI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
IN IULEO MAIORI  
PVBLICE DEFENDE T  
AVCTOR  
**IOHANNES MEIER**  
PREMENSIS

---

HELMSTADI  
APVD VIDVAM B. P. D. SCHNORRI ACAD. TYPOGR.